DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE MELLITO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

DIABETE MELLITO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS HALES SHIRREFF,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.
NECNON SOCIET. RER. NATUR. CURIOS. EDIN.
SOCIUS.

"——— *Therein the patient,*
"*Must minister to himself.*" SHAKESPEARE.

"——— *Quod medicorum est,*
"*Promittunt medici.*" HORAT.

VII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

PATRI SUO OPTIMO,

ATQUE DILECTISSIMO,

JACOBO LUMSDEN SHIRREFF,

OB SUMMAM DILIGENTIAM,

QUA, BONIS DISCIPLINIS MORIBUSQUE

SE SEMPER INSTITUENDUM,

AB ÆTATE INFANTILI,

CURAVIT:

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS ANIMIQUE GRATI SEMPITERNI

TESTIMONIUM PEREXIGUUM,

EA, QUA DECET, PIETATE

ET REVERENTIA,

OFFERT

FILIUS ATQUE *DISCIPULUS*.

MEDICO PERITISSIMO,

PATRISQUE SUI AMICO SPECTATISSIMO,

GULIELMO SAUNDERS,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA

IN SUOS CUM SUMMA COMITATE

COLLATA:

NECNON,

JOANNI ROLLO, M.D.

TAM OB SCIENTIAM MEDICAM

INSIGNI;

QUAM OB *DIABETIS MELLITI*

INVESTIGATIONEM DILIGENTEM,

DE GENERE HUMANO OPTIME MERENTI:

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM

OBSERVANTIÆ PIGNUS QUALECUNQUE

D. D. CQUE

JACOBUS HALES SHIRREFF.

DENIQUE,

VIRIS EXIMIIS,

JACOBO HOME, M.D.

ET

ALEXANDRO MONRO JUNIORI, M.D.

ILLI

MATERIÆ MEDICÆ,

HUIC

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ,

IN

ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORIBUS;

OB MULTA EADEMQUE UTILISSIMA

QUIBUS AB IIS AFFECTUS:

HOCCE OPUSCULUM,

GRATI ANIMI

MONUMENTUM

DEDICAT

AUCTOR.

Sequentia a lectore sunt corrigenda.

Pag. 7.	l. 12.	*pro* semissam	*lege*	semissem
8.	5.	occurentia,		occurrentia,
30.	22.	examini		examine
32.	16.	materei		materiei
58.	1.	suspendabuntur,		suspendebuntur,
60.	9.	pani		pane
64.	2.	proferabatur		proferebatur
67	15.	adhibitur		adhibetur
67.	21.	rediant		redeant
89.	11.	*ante* cardialgia *insere* de		

For
Doctor Saunders
with the most respectful
compl^ts of The Author —

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE MELLITO.

PROOEMIUM.

MEDICINA nostris temporibus æque ac reliquæ scientiæ humanæ partes feliciter exculta est; nec amplius ars conjecturalis habenda esse videtur.

Veritatem rerum ipsarum observatione sola cognoscendi provehendique amor, prejudicii aut theoriæ præconceptæ immunis; libertas illa, qua novæ apud medicos opiniones fruuntur; adjumenta, quæ omnibus iis, qui

in disquisitione aliqua difficili atque implicata, licet aliter gratissima, de principiis generalibus occupantur, libenter undique præbentur; illustres philosophos medicos hodiernos a superstitiosis prioribus, caligine monastica immersis, satis distinguunt.

Opera quoque scriptorum ingeniosorum, de arte medica bene merentium, qui morbis quibusdam animum animadverterunt, methodum medendi feliciorem nobis tradiderunt.

A talium virorum laboribus de morborum singulorum causis et natura disserentium, quid non sperandum? Et si conatus eorum nonnunquam omnino infelices, aut pro parte tantum prosperi fuerint, hoc imbecillitati humanæ forsitan tribuendum; plurimæ enim res, quia ita Numini Opt. Max. placuit, facultatum nostrarum vires superant.

Nulla ars ingenua aut scientia adhuc perfecta esse videtur; profectus autem in variis Medicinæ partibus nuper factus, eam aliarum scientiarum perfectionem consequaturam, nobis spem præbet.

Ut unamquamque vitæ actionem tamen explicare

plicare possemus, multum abest; quando enim mutationes, quæ in genere nervoso impressiones ad cerebrum vehente fiunt, cognoscemus? Quando inter partes quasdam consensum intelligemus? Causa finalis hic loci, efficiente omnino ignota, plerumque patet. Philosopho sat erit, si effectus observet, eosque per eventuum seriem sequatur, donec ad extremum, ultra quem nihil præter tenebras cernitur, pervenerit: hic gradum sistat, temeraria enim causarum investigatio, multum semper scientiæ nocuit: "Tum hic, cum alias, ubique re-
" bus veris standum, lubrica causarum, ut-
" pote fere incomprehensibilium, quæstio, ve-
" nenatus ille philosophiæ anguis, cum cura
" fugienda *."

Difficultates, quæ naturæ Diabetis Melliti investigationem comitantur, sive incerta ejus historia medica, sive naturæ ipsius obscuritas spectentur, iis cujuscunque morbi, cui corpus humanum obnoxium est, æquiparari possunt; namque

* Elem. Med. Brunonis.

namque donec illæ tenebræ, quibus variæ corporis functiones, *e. g.* respiratio, secretio et nutritio, involvuntur, removeantur, quod vix sperari potest; multa symptomata ei propria probationem tantum præsumptivam aut analogicam admittunt.

Asperitatem viæ, quam ingredimur, sentientes, hocce opusculum suscipimus; nec sine timore opiniones nostras proferimus. De hoc morbo ita disserendi, ut omnium assensum consequamur, spes nobis nulla est: nobis sat erit, si eorum exemplorum, quæ nostræ observationi occurrerunt, spectatores haud inattenti videamur; et si lapsi fuerimus, fato eorum, qui præcesserunt, nosmetipsos solari possumus.

DE HISTORIA.

Morbi hujusce nomen a verbo Græco διαβαινω ducitur; "quod humor corporis nullo "in loco consistit, sed subinde de loco in lo- "cum

"cum διαβαινει, hoc est *pertransit*, non aliter "quam aqua per syphonem, quam Διαβητην "vocant mechanici *."

Ei præterea alia nomina, veluti *hydropis ad matulam*, *diarrhœæ urinalis*, *urinæ nimiæ profusionis*, *dipsaci* †, *morbi Anglici*, &c. a scriptoribus imponuntur.

Talia nomina ad auctam urinæ quantitatem plerumque respiciunt; secundum autem observationes recentiores, hæc nequaquam necessaria esse videtur; sine ea enim existere, cursum suum perficere, et denique lethalis evadere, morbus potest: inter curationem quoque sæpissime hoc indicium evanescit, nec urina quantitatem liquidi assumptam excedit, et ab urgenti siti manifesto pendet. *Morbus Anglicus* ‡ adpellatur, quia nostris temporibus medici Britannici fere soli de eo quæsiverunt. Pluribus tamen exemplis, opus est, antequam morbum

* GORRÆI *Definit.* in loco.

† GIRDLESTONE'S *Historical Sketch of Diabetes.*

‡ SAUVAGES. *Nosol. Method.* in loco.

morbum hisce regionibus frequentius quam alibi occurrere, pro certo habeatur ; hæc enim sententia ex conjectura sola oritur.

Galenici morborum indicia accuratissime plerumque tradunt; utcunque falsa theoria, aut prava medendi methodus, eorum descriptiones morborum cum summa fide peraguntur. In diabete, vero, res sese longe aliter habet *. Historiis in hoc exemplo, sine eorum solertia solita, plurimæ fabulæ solum, quas scriptores, alius alii, tradunt, immiscentur: usque ad tempus enim WILLISII, signum, quo, hic morbus ab omnibus aliis præcipue distinguitur, ignotum fuisse videtur. Quali fide digni sunt auctores, quorum unus, "vidisse se mejentem "vinum rubrum, eo colore quo fuerat haus- "tum †," affirmat ; quorum alter, de ægroto quodam diabetico scribens, dicit: "Uteba- "tur

* Excipiendus est ARETÆUS ; ejus enim descriptio, nisi quatenus urinæ qualitatem saccharinam respicit, accurata est, et ex observatione ducta.

† TRNKA de Diabete.

"tur autem primam propter febrem julepo "rosaceo diluto ex aqua, et urina, quæ pau- "lo post mingebatur, eadem omnino videba- "tur, quæ erat in cyatho antequam bibere- "tur, eundemque referentem colorem aspici- "entibus et odorem olfacientibus. Sed et "quidam, qui illi ministrabant, gustare volue- "re, qui affirmarunt, neque in sapore ullam "factam immutationem *."

Plurima alia, æque falsa et incredibilia, proferre impromptu est. BACHETONUS, se ipsum per catheterem tres uncias et semissam olei amygdalarum communium, quod ægrotus triduo antea biberat, eduxisse, affirmat.

Quanquam ante WILLISIUM, urinæ dulcedo minime accurate memoratur, talem tamen ejus qualitatem † tunc primum extitisse haudquaquam

* TRNKA de Diabete.

† Diabetes ab HERCULE SAXONIO in *verum* et *spurium* distinguitur.

"Est autem legitima diabetes, excretio rei potulentæ prorsus non mutatæ in odore, colore et sapore "per vias lotii.

"Spuria

quaquam verisimile, sed "potius," adhibitis CULLENI celebris verbis, "observationi per-"functoriæ, vel omnino neglectæ *," tribuendum est; nec tamen omnia exempla olim occurentia, gustui subjecta, diabetem mellitum evasura fuisse, censenda; duæ enim sunt diabeti species, *mellitus* et *insipidus*.

An tamen hæ varietates omnino diversæ, an tantum ejusdem morbi diversi gradus sint, apud medicos nondum constat; prori attamen sententiæ propter rationes sequentes, ut assentiamur, fert animus:

1mo, Quia insipidus a locali aut symptomatica renum actione sola pendet.

2do, Quia,

"Spuria diabetes, quam Arabes *multitudinem urinæ* "appellant, est excretio urinæ in tanta copia, quæ "longe superat quantitatem rei assumptæ humidæ." —GIRDLESTONE's *Historical Sketch*.

Hæ definitiones, urinæ veri diabetis dulcedinem ab HERCULE SAXONIO cognitam ostendunt. Eum autem, æque ac reliquos odorem atque saporem, dulci potui sumpto tribuisse monstrant.

* *Synops. Nosol. Meth.* in loco.

2do, Quia, insipidus non assumpta melliti forma, diæta etiam neglecta, diu permanet et subito desinit.

3tio, Quia, insipidus rarissime infelici est exitu.

Medici antiqui et recentiores inter se de ejus frequentia quoque magnopere discrepant. Galenus se vidisse eum bis tantum ait. Ex aliis autem operum ejus partibus illi ignoranti occurrisse videtur; morbum enim quendam, propter cibum et potum per urinam abeuntes nec nutrientes, genitum, appetitu canino comitante, describit *. Galeno scriptores succedentes de eadem raritate loquuntur, et proculdubio tanquam morbus raro occurrens adhuc habendus est. Nobis autem frequentius quam antiquis obvius fieri videtur. Unde hoc nascitur quæri potest.

A nonnullis, luxui aucto et mutatis moribus tribuitur. An nos vero luxui magis dediti simus, quam, tempore Galeni, Romani, in dubium vocari potest.

* De Locis affectis, cap. iii. lib. vj.

Nec mores mutati tantæ differentiæ sufficiunt. Licet enim victus solitus subito mutatus morborum singulis semina creet, modi tamen vivendi generaliores ad corporis humani constitutionem mutandam parum valent. Febres intermittentes, pleuritis, dysenteria, aliique morbi easdem formas nunc ac tempore Hippocratis sumunt. Hinc operum ejus utilitas.

Hæc igitur monstrant, utcunque valetudo quo ad vim actionis, differat, tamen si ad actionis capacitatem potentiæ incitantes in debita proportione sint, quantitatem actionis futuram esse, quæ sanitatem æque generet, ac in aliis conditionibus, atque in omnibus corpus valetudini adversæ æque obnoxium fore. Frequentia ejus, curæ illæ majori, quam huic morbo, ortum ejus metuentes, nunc adhibent medici, potius quam ulli systematis mutationi, unde nascatur, tribuenda.

DE LOCO NOSOLOGICO.

A SAUVAGESIO atque ejus sectatoribus ad classem *FLUXUUM*, ordinemque *seri-fluxuum* * male relegatur; quoniam indicium, unde hic ordo ducitur, tantum secundarium est, et quandoque omnino abest. A CULLENO vero ejusque discipulis, hypothesin potius quam phenomena, quæ nunquam spasmodica sunt sequentibus, ad classem *NEUROSIUM* ordinemque *spasmorum* † redigitur.

A Doctore LUBBOCK ‡, nostra quidem sententia, rectius ad classem *CAHEXIARUM* ordinemque

---

* *Nosol. Method.* in loco.

† *Synops. Nosol. Method.*

‡ *Med. & Phys. Journ. vol.* v. *Jan.* 1801.

nemque *marcorum*, secundum Nosologiam CULLENI, tribuitur. Ex tabe atque febre hectica, quæ hunc morbum æque ac alios hujusce ordinis semper comitantur, quæque omnes a primario locali affectu oriuntur, dispositionem hanc justam esse patet.

Morbum localem esse argumenta sequentia probant.

1mo, Quia mali generalis indicia, non nisi aliquamdiu post morbum formatum, sese monstrant.

2do, Quia hæc indicia eadem sunt, quæ alios morbos locales comitantur.

3tio, Quia sola ea medendi methodus, quæ ad removendam conditionem debilitatam organorum quorundam usurpatur, in hoc morbo exitu felici adhibetur.

DE DEFINITIONE.

Hujusce morbi definitio apud omnes scriptores, ab illa opinione, quam de ejus natura habent, originem trahit; illa sola a Doctore Homeio edita observationi innititur; hisce verbis traditur: "Urina aucta, et subdulcis; "sitis perpetua; cutis arida et plerumque "squamosa *." Doctor Rollo recentius novam definitionem protulit, atque Doctoris Homei emendavit, hisce verbis:—"Desiderium cibi inexplebile; sitis perpetua; urina "aucta et subdulcis; pulsus frequens; calor "parum auctus; cutis arida, cum marcore †."

Utraque

* *Clin. Experiments.*

† Rollo *on Diabetes.*

Utraque definitio morbum certe satis ostendit; errant autem hi medici illustres, dum affirmare videntur, morbum aliter existere non posse; atque iis indiciis igitur non tantopere urgentibus, morbus, quasi absens, negligi potest. Nos hic præcipue, ad urinam auctam et sitim perpetuam respicimus. Nec semper adest desiderium cibi inexplebile. Diabetes mellitus, nostro judicio, in urinæ dulcedine sola consistit: Marcore autem atque cutis statu, qui nunquam absunt, solis indicari potest. Quoniam vero morbi definitio omnia complecti debet, unde ejus præsentia detegi potest, hoc modo eum definire volumus:

Urina mellita, plerumque aucta; cutis arida, interdum squamosa; sitis et desiderium cibi, sæpe inexplebilia; cum marcore, febreque hectica.

DE

DE INDICIIS.

Initium morbi valde difficile est cognitu; primo nascens nulla molestia ægrotum premit.

Cibi appetitus, sitis atque urinæ fluxus auctus forsan adversæ valetudinis signa prima sunt; quorum tamen appetitus et sitis, tanquam potius sanitatem quam morbum indicantia, existimantur; atque urinæ fluxus sitim auctam sequi habetur, ideoque ea solicitudinem magnam non creabunt. Res sese ita habebit per tempus nunc brevius nunc longius; donec orta tabe atque debilitate, ægrotus ejusve amici medicum in auxilium arcessunt. Hoc tempore ægrotus confirmato diabete mellito laborat.

Appetitus maxime augetur, edendi cupiditate statim fere post cibum redeunte; urget sitis, et in potu parando, ad vigilentiam amicorum

corum eludendam, maxima solertia utitur æger, quum tamen quo plus bibit, eo magis bibere cupit; urina augetur, atque nonnunquam, ut aiunt plurimi auctores, quantitatem ingestorum et liquidorum et solidorum superat: os arescit: exspuitur materies viscida subacida: lingua, fauces et gingivæ rubescunt: cutis arida et plerumque squamosa fit; "talis "sæpe fuit ejus insensilitas ut ex ea pili sine "ullo ægroti dolore evelli possint *:" dolor perpetuus, ad renum regionem; calorisque sensus vel ad scrobiculum cordis, vel ad viscera, præcipue si ægrotus potu per breve tempus abstinuit, referuntur †: alvus plerumque ab initio adstringitur, progrediente tamen morbo solvitur. Adsunt omnia debilitatis signa; corpus languescit; deprimitur animus; mens debilitatur,

* MARCET. de Diabete, Dissert. Inaug.

† Hoc quoque ab ARETÆO notatur:—"quod si vel "per punctum temporis inhibeantur, siquidem a potu, "os siccatur, corpus arescit, viscera ipsi sua conflagra-"re opinantur."

debilitatur, atque agere recusat; veneris cupido nulla existit. Vespere adventante, facies rubore suffunditur: manuum volæ atque plantæ calescunt: crebrior fit pulsus, nonnunquam ad 120 vel 130 auctus, plerumque tamen inter 80 et 100 fluctuans: mane sudor odoris subacidi erumpit; cujus quoque haud expers est e pulmonibus halitus. Ægroti vires nunc cito franguntur: invadit dyspepsia: corpus tabescit: tumores pedum œdematosi circa vesperem sese ostendunt, durante nocte autem abeuntes, cito vero, simul cum aliis hydropis affectubus conjuncti, per totum diem mansuri. Aphthæ apparent: Eneurisis, vel frequens ad mingendum stimulus, dysuria comitante, cæteris ægroti malis nonnunquam sese jungit. Cibi appetentia nunc desinit, atque in ipso mortis articulo morbus subito mutari videtur. Urina e dulce, vel acida vel amara vel insipida, et multum minuta, fit*: decedit quoque

 sitis:

* In exemplis HOUSTONII et Dom. THOMÆ, in opere Doctoris ROLLO relatis, urina acida. Ipsi quoque urinam

sitis : insensilitas cito supervenit, atque ægrotus ad umbram extenuatus, delirio aut convulsu prægrediente, paulatim in mortis amplexum decidit.

Talia sunt signa quæ plerumque Diabetem Mellitum comitantur. Alia preterea aliquando adsunt ; sicuti phymosis *, glandis partiumve vicinarum excoriatio, odor corporis cadaverosus †, visus minutus, &c.

Plurima ex iis supra memoratis symptomatica solum, nec omnia, aut eorum major pars, ad formandum diabetem mellitum necessaria, censenda ; absentibus equidem omnibus aliis præter

---

urinam acidam et ad amaritiem spectantem vidimus. Insipiditas ejus haud infrequens.

* Apud nonnullos scriptores hoc indicium adeo frequens censetur, ut in eorum definitiones admittatur. LUBBOCK *on Diabetes*, *Med. & Phys. Journ.* vol. 5. GIRDLESTONE'S *Sketch*.

† Hoc insigne fuit in SYMINGTON. HOMEI *Diar. Clin.* mensi Dec. 1802, et Januar. et Februar. 1803.

præter urinæ dulcedinem atque tabem, nostro judicio, morbus vere adesse potest *.

Indicia autem non semper, ipso ordine, quem supra tradidimus, occurrere aut succedere possunt. Morbus, nostro judicio, haud inepte in *activum* et *quiescentem* dividi potest: ægroto enim ad certum debilitatis gradum perveniente, affectus augere desinit; alias quoque mala comitantia, sicuti sitis et febris hectica, minuuntur; alias æger ad summam debilitatem redactus, aphthis atque signis hydropis ortis, propriis morbi indiciis etiam evanescentibus, subito reviviscit, atque per aliquod tempus inter vivos manet †.

In

* Exemplum memoratur, in quo urina nec sanitatis quantitatem nec liquida ingesta unquam superavit; tunc morbus omnino latuit, donec difficile cognitu fieret, quonammodo tanta macies, aucto etiam alimento, oriri possit: infelici fuit exitu.—*Case of Allen Holford, Esq;—London Medical Journal*, vol. 9. part 3. art. 4.

† Homei Clin. Diarium a Dec. 1802 ad Mar. 1803, comparatum cum eodem exemplo in Diar. Clin. a Nov. 1803. ad Feb. 1804.

In hoc morbo quoque, urinæ qualitas, æque ac quantitas, magnopere a statu sano recedit, ex colore, sapore, et odore ei propriis, leviter fit flava, stramento similis, viriditate tincta; saporem mellis aquæ admixti referens; et, contra indolem urinæ sanæ, in fermentationem vinosam atque acetosam ruens. Periculis sequentibus, urinam diabeticam nos subjecimus.

1. Fermento addito, in liquorem cerevisiæ tenui similem, transiit; quique, aliquandiu servatus, acidus evasit. 2. Libræ duæ vaporationi subjectæ ad uncias tres et drachmas sex, theriacam, et odore, et sapore, et colore, referentes, minutæ fuerunt. 3. Nec acidis nec calore coagulata fuit. 4. Aqua calcis infusa eandem turbavit, atque gaseum ammoniacale evolvit. 5. Ex nitrate hydrargyri, submurias hydrargyri decidit. 6. Vaporatione atque addito alcohole, more solito, *uream* quoque adepti sumus. Urina communi iisdem periculis subjecta, nullum discrimen nec gradu nec genere observari potuit.

Ex

Ex his igitur, urinam diabeticam solum propter materiem saccharinam præsentem, ab urina communi differre, patet.

DE SECTIONE CADAVERUM.

Adhuc cadaverum hoc morbo demortuorum incisio, scientiam nostram de ejus sede causisque parum provexit. Ut accurate inter causas et effectus distinguatur, valde difficile et fere impossibile est: secundum opinionem quam antea de hujus affectus natura habuerunt medici, eædem res nunc ad causas nunc ad effectus referuntur.

In mortuis renes semper fere magni, laxi et molles præter naturam reperiuntur; ea autem nonnunquam alterum tantum, altero sano remanente, respiciunt: odor quoque subacidus inde emitti dicitur *; calculi, apostemata atque

* Home, *Clin. Exper. et Hist.*

atque varia renum vitia quandoque occurrunt. Intestina fæcibus induratis aliquando obstruuntur. Glandulæ mesenterii atque mesocoli majores factæ, colóris pallidi et texturæ solito densiores sunt: vasa etiam mesenterica distenduntur. Hepar in nonnullis exemplis morbidum, plerumque tamen sanum videtur. Pulmones tuberculosi sunt, &c.

Illa tamen omnia, effectus potius quam causæ morbi haberi possunt; immo ex aliis morbis quibus ægrotus laborare potest eodem tempore ac diabete mellito, quosque incitatio aucta, pulmones ipsos haud raro afficiens, comitatur originem trahere verisimile est: nec dubitandum quin multi diabetici, pneumoniæ succubuerunt *.

Quoniam duo morbi diversi hoc modo, concurrere possunt; eo magis ad diabetem mellitum morbum localem censendum ducimur; nam etiamsi, et localis et generalis affectio morbida concurrere possunt, duæ tamen affectiones

* Strover, ut in historia traditur, pleuritidi, diabete pulso, subjectus fuit.—*Appendic.*

fectiones generales morbidæ rarissime vel nunquam eodem tempore existunt.

DE DIAGNOSI.

Diabetes mellitus cum nullo alio morbo, Diabete Insipido excepto, atque a quo facile propter urinæ dulçedinem tabemque distinguitur, confundi potest. Ab omnibus aliis morbis, propter signa jam in definitione tradita, quæque hoc loco repetere non operæ pretium est, satis differt.

DE

DE CAUSIS.

Diabeti mellito omne temperamentum, omnis ætas, sexus, vitæ status et cœlum obnoxia sunt. Infra pubertatem, in adolescentia, virili ætate et senectute; inter divites atque pauperes, sese ostendit.

Temperamentum sanguineum, habitus strumosi, senes, ac luxui dediti, in eum autem facilius incidunt.

Potuum calidorum, veluti theæ et coffææ excessui; bellariis, condimentis, fructibus atque farinariis nimiâ copiâ assumptis; cerevisiæ tenui cum labore corporis conjunctæ; mentis motubus incitantibus vel deprimentibus; subitis cœli mutationibus; balneo frigido corpori calido adhibito; potui frigido post usum liquidorum stimulantium nimium; frigori atque humiditati; renum vitiis; febri-

bus,

bus, intermittentibus præcipue, prægressis; fæcibus congestis; evacuationibus immodicis; ac denique omnibus iis rebus, quæ corpus debilitent, a scriptoribus medicis aliquando tribuitur.

Causæ incitantes vero ut semper incertæ sint, oportet; nihil enim de hac re scire possumus, quoniam morbus plerumque, antequam conspectui nostro subjicitur, aliquandiu extitit; hinc omnis noxa, cui proxime objectus fuerit ægrotus, atque unde læsa censeatur valetudo, pro morbi causa habetur; quum, revera, per longum tempus antea forsitan adfuerit. Multis quidem ex causis supra memoratis fides haudquaquam habenda est; earum enim pleræque ad augendam atque servandam sanitatem, quam ad morbum gignendum magis spectant; nec morbus, ex alicujus earum rerum abusu nascens, diabetes mellitus foret.

Quæcunque vero causa incitans fuerit, quibusdam in exemplis videtur esse opportunitas hæreditaria, aut structura peculiaris, quæ mo-

dum, quo res corpus afficiunt, ita variet, ut hic morbus induci possit.

Doctor STORER in epistolis, quas Doctori ROLLO scripsit, sese diabeticos tres in eadem familia vidisse memorat: hisce verbis;—" A " gentleman, his sister and her daughter; " and the gentleman tells me that his father " died of the diabetes." Ac in alio loco quoque addit;—" A young man, who consulted " me several years ago, and was quickly re- " lieved by tonics, emetics, and mineral acids, " assured me, that two of his aunts had, for " many years, been afflicted with the same " disease. . . . . One of them is remark- " able for very fair hair, and blooming com- " plexion; but no marks of scrofula *."

Dom. THOMAS, in epistolis suis quoque Doctori ROLLO scriptis, exemplum unius e tribus fratribus, verbis sequentibus tradit: " whose " symptoms increasing, with a frequent and " copious evacuation of urine, he was induced " to

* ROLLO *on Diabetes.*

"to taste it (from the recollection of a younger brother's case, who had died seven years ago of diabetes); he found it sweet:" et in alia parte de eodem exemplo ait; "He showed me a letter from a brother of his, living in Kent, who also complains of pain in the back, and great debility, with an occasional discharge of sweet urine, especially after any fatigue of body, or distress of mind.—It could not be traced to either of their parents *."

Res illæ maximi sunt momenti, et licet diabetem mellitum hæreditarium haud satis probant: hoc tamen possibile esse ostendunt; atque idcirco in hujus morbi causis incitantibus indagandis, summa a medicis cura adhiberi debet, quo de eo melius præcaveatur †.

DE

---

* ROLLO *on Diabetes*.

† Alia exempla, in quibus morbus hæreditarius esse videtur, a scriptoribus, veluti RONDELITIO et MORTONIO, traduntur.—GIRDLESTONE's *Sketch*.

ISENFLAMM, (*Practische Versuche über die Eingeweid*), septem liberi corundem parentum eo demortui. Apud PLOUQUET *Bibliothecam*, art. *Diabetes*.

DE MORBI SEDE.

Explicatio phænomenorum diabetem mellitum stipantium, medicorum attentionem in omni ævo jure sibi vindicavit; iisque campum quærendi et disputandi amplum aperuit.

Plerasque tamen de hac re scriptorum sententias ut referamus, haudquaquam necesse est; observationes igitur nostræ medicos præcipue nostrorum temporum respiciunt. Illorum sententiæ ad tres redigi possint; quarum

1ma, Eum ad morbidam renum secretionem;

2da, Ad assimilationis defectum; ac

3tia, Ad actionem ventriculi auctam, fluidum gastricum vitiatum generantem; refert.

Primo, igitur, de *morbida renum actione*, dicendum. Hæc opinio qualitate seri sanguinis salina præcipue nititur. Nam ejus fautores

res, si saccharum a renibus haud formetur, in sanguine, unde urina secernitur, detectum iri contendunt. Ejus autem absentia in sero sanguinis, atque in urina præsentia, alicubi, sero urinæ naturam induente, genitum esse, hoc autem alibi quam in renibus fieri non posse, monstrant. Hæc qualitas seri salina, uno exemplo a Doctore Dobson memorato excepto *, semper adest.

Serum sanguinis diabetici quod ipsi vidimus admodum salinum fuit; cæteræ autem ejus qualitates sensibiles a sero sano magnopere diversæ: colorem serilactis turbidi retulit; aliquamdiu servatum corrumpi cœpit, tamen tarde; atque mutationes nonnullas subiit, quæ in seri sani corruptione absunt; tribus diebus, nihil mutatum; quinto sextoque odor subacidus, paulatim pungentior factus, octavo et nono odor leviter putridus redditus, quique tribus vel quatuor diebus elapsis jusculi corrupti odorem sumsit.

Crassamentum

* *Medical Observations and Inquiries*, vol. 5.

Crassamentum quoque a sano sanguine nonnihil diversum, textura laxiore atque putredine retardata, fuit; caseam superficiem a Doctore ROLLO descriptam paucis diebus induit; quinto muscebat, et in illo statu usque ad decimum permansit, nullo odore animale emanante; tunc paulum resolutum, et die vigesimo, putredine non augescente, abjectum fuit.

Sanguis diabeticus tam tarde putrescens, a Doctore ROLLO quoque notatur.

Illa experimenta magnum discrimen inter sanguinem sanum et diabeticum satis monstrant; atque inde, hunc quodammodo fermentationem acetosam subire, inferre licet: hæc autem, nisi propter materiem sacchariam præsentem, oriri nequit; eaque pro criterio certiore, quam gustus, qui in chemica investigatione pro indubitabili haud recipitur, habenda. Nec rerum quarundam in sanguine præsentiam, sicut a Doctore PEARSON observatur, quia eas nec gustu nec examini chemico detigimus, negare debemus. "In "one trial," inquit ille et medicus et chemicus

micus celeberrimus, "I adminiftered 800 "grains of carbonate of potash in water, su- "persaturated with carbonic acid, between "the hours of ten o'clock at night and two "the following day in the afternoon. Blood "was drawn at twelve on that day, and at "which time urine was excreted impregnated "with alkali, but not a trace of this salt "could be detected in the serum by the tests "of violet juice, and of turmeric *."

Saccharum quoque a Doctore Rollo in sero sano solutum, a gustu haud perceptum fuit †.

Omnis conclusio igitur, ex absentia sacchari in sero ducta, hisce observationibus incertior fit; præcipue vero quum unum experimentum positivum adest, quod plurimis negativis everti non potest.

Porro, plurimi physiologi magni nominis potestatem nova composita formandi renibus recusant.

---

* Rollo *on Diabetes.*

† Ibid.

recusant. Secundum eorum sententiam renes, quasi colando, agunt, inutiles et aquosas partes tantum a sanguine separantes : phænomena, hujusce morbi, quæ hanc sententiam firmant, sunt sequentia.

1*mo*, Sales naturales in urina existentes ; si enim renum actio esset secretio, et si materies saccharina a secretione renum morbida penderet, quonammodo sales illi adesse possent ? actio enim sana, simul cum morbida eodem tempore existens, concipi nequit.

2*do*, Mutationem aliquam, ex aliqua re ab actionibus concoctricibus derivata, in sanguine effici, cessans separatio materiei saccharinæ propter cibum vegetabilem ablatum ; et hoc alimento vegetabile restituto, materei saccharinæ reditus ; atque proportio exacta inter separationem hanc a renibus factam, atque quantitatem concoctione evolutam, satis probant.

Denique ; urinæ reditus ad qualitates sibi proprias, per cibi animalis usum, nullam renum actionis mutationem factam monstrat ; quanquam enim, propter cibum vegetabilem ablatum

ablatum, nulla materies saccharina sanguine admista, atque ejus secretio hoc modo per renes impedita fuerit; functiones nihilominus renum naturales esse non debent; cibus enim animalis fabricam sanam restituere nequit, nec transiens vitium propter usum frugum temporarium induci potest.

Hæc duo argumenta posteriora primum confirmant, atque renes in hoc morbo tantum passivos, nostra quidem sententia, satis probant. Eadem res quoque ex eo patet, quod materiei saccharinæ separatio renibus haud propria est, sed quoque ad glandulas parotides, ad vasa pulmonum exhalantia, atque ad corporis superficiem exteriorem pertinet. Quæ phænomena theoriæ, qua hujus morbi sedes renibus assignatur, omnino adversantur, atque contra eam argumentum præbent, quod ejus fautores non facile superabunt.

Secundum alteram ex duabus aliis theoriis sacchari evolutionem in concoctione naturalem esse, viribus autem assimilantibus deficientibus, in substantiam corporum nostrorum con-

verti non posse, atque hinc hujusce morbi phænomena, affirmatur *.

Altera vero, hanc sacchari evolutionem morbidam, et hinc, propter concoctionem mutatam, pabulum alienum viribus assimilantibus præberi, atque diabetis melliti signis originem dare, asserit †.

Quoniam vero hæ sententiæ præcipue ratione evolutionis materiei saccharinæ inter se differunt; ut separatim spectantur minime opus est. Investigatione igitur prioris, quæ magis verisimilis nobis videtur, contenti erimus; atque in hac stabilienda, posterior falsa indirecte probabitur.

Cibus quo alimur, aut a frugibus aut ab animalibus derivatur. Omnes res hujusmodi plus minusve nutriunt. In frugibus, hæc nutritio aut a saccharo aut a farina aut oleis aut mucilagine; in animalibus, ab oleo, vel mucilagine,

* HOME'S *Clin. Exp. & Hist.*—DOBSON, in *Medic. Observat. & Inquir.* vol. 5.—CULLEN'S *First Lines.*

† ROLLO *on Diabetes.*

ne *, pendet; pars vero in utrisque fibrosa minus alit; potestate, hæc principia nutrientia extrahendi, atque in substantiam corporum nostrorum vertendi, vires concoctrices et assimilatrices gaudent: prout illa plus minusve abundant, eo major minorve alimenti quantitas a cibo extrahitur.

Nec omnes res nutrientes hoc principium æque possident, sed, ordine sequente, potestas earum nutriendi decrescere videtur: 1. Saccharum; 2. Farina; 3. Mucilago; et denique, Olea. Saccharum autem, secundum experimenta, quæ instituit CRUIKSHANKS, in quibus farina et mucilago, propter *oxygenium* aere absorptum, in saccharum mutatæ sunt, solum vitæ pabulum habendum esse videtur. Hic chemicus illustris, hordeum madefactum, in vas *gaseo* oxygenio impletum et super hydrargyrum inversum, immersit; hordeo crescere incipiente, gaseum oxygenium minutum fuit,

atque

* FORDYCE *on Digestion.*

atque semina, antea insipida, dulcissima evaserunt *.

Inde formationem sacchari, ad plantas evolvendas, necessariam esse ducimus :

1mo, Quia semina atque plantæ germinantes dulcia fiunt.

2do, Quia succus nutriens plantarum, signa manifesta qualitatis saccharinæ ostendit : e multis earum hæc materia tanta copia extrahitur, ut inter res commercii habeatur.

3tio, Quia fructus maturi facti dulces sunt ; et in plurimis, sicut uva, ficu, et aliis, maxime insigniter apparet.

In animalium nutritione eadem, licet, propter vasa huic rei inservientia atque propter substantiam formandam, nonnihil diversa, quodammodo eveniunt.

Elementa frugum primaria sunt *carbonium*, oxygenium et *hydrogenium;* et eadem e sacchari resolutione, quod ex iisdem principiis constat,

---

* CRUIKSHANKS, *Experiments on the Nature of Sugar.*—ROLLO *on Diabetes.*

stat, præberi possunt. In animalibus, præterea hæc, *azotum*, phosphorus et sulphur adsunt. Res fossiles in utrisque repertæ, ex solo, unde nascuntur, aut cibo sumpto, originem ducere possunt: azoti in animalibus fons difficilis forsitan est explicatu, nec nostrum interest; hoc autem naturæ rei formandæ discrimen aliquam pabuli nutrientis varietatem exigere, observandum.

Sicuti sacchari formatio ad fruges nutriendas omnino requiritur, ita quoque chylus dulcis ad constituendum pabulum animalium nutriens æque opus est: hoc probatur;

1mo, Ex omni cibo nutrimentum præbente, in proportione quod continet sacchari, vel ex facilitate quâ in saccharum convertitur.

2do, Ex morbis ab assimilatione materiei alienæ per usum cibi animalis solum, aut frugum saccharo carentium, inductis *.

3tio,

---

* Homines scelesti in carceribus Philadelphiæ detenti, olim frumento Indico et aqua solis vescebantur; atque scorbuto et marcore afficiebantur; sacchari spuma,

3tio, Ex saccharo in utroque exemplo addito, morbum expellente et valetudinem secundam reducente *.

Postremo ; ex concoctione, non solum a dulcedine chyli, sed quoque a rerum, quas continet ventriculus debilitatus, aciditate, quæque, solum ex materie saccharina oriri potest, saccharum formari probatur.

Quod sacchari quantitas nonnunquam ultra proportionem a cibo derivandam videtur, huic sententiæ

---

ma, vernacule *molasses*, autem cibo addita, valetudine secunda fruuntur.—Duc de Liancourt *on the Laws and Oeconomy of the Prisons of Philadelphia.*

* Dr Macbride quoque, in sua de scorbuto dissertatione, hisce verbis utitur : " Let them be allowed, " while at sea, a daily portion of *sugar*, and I will " venture to promise, that in time of war, we shall " annually save some thousands of useful hands." Et in ratione reddenda valetudinis differentiæ, inter præfectos et nautas, ait : " They are well clad ; and, for the " most part, never want a little store of *sugar*." Macbride's *Experimental Essays.*—Trotter, Medicina Nautica.—Beddoes, *Observations on Calculus*, &c.

sententiæ vix adversatur; ipsa sacchari, farinæ ac aliorum elementorum secundariorum, quorum affinitates, ab succi gastrici actione, ita mutari possunt, ut saccharum gignant, in cibo quantitas prius saltem monstrari debet; præcipue quoniam saccharum pro cibo sumptum saccharinæ materiei in urina quantitatem auget *.

Concoctione hoc modo, ut nobis videtur, peracta; fructus ejus in substantiam nostrorum corporum viribus assimilatricibus mutantur.

Nunc quærendum est; quonammodo, hæ functiones læsæ evadunt, et quinam effectus ex earum conditionibus morbosis oriuntur.

Organi cujusvis actio aut sana, aut aucta, aut minuta habenda est, nec aliter, nostra saltem sententia, existere potest †.

Morbus

---

* ABERNETHY, Epist. Doct. ROLLO.—ROLLO *on Diabetes.*

† Quomodo varia secreta formantur, nescimus; eorum diversitates forsitan diametris diversis vasorum, per

Morbus igitur dupliciter solum, propter concoctionis vel assimilationis virium actionem auctam aut minutam, nasci potest; illa aut obesitati aut robori musculari aucto, hæc atrophiæ aut exinanitioni, ortum præbet.

Morbus quoque in una functionum serie, et non in altera, existere potest; assimilatio scilicet, concoctione naturale manente, augeri potest; vel, vice versa; et assimilatio, concoctione naturale quoque manente, minui potest, et e contrario: in duobus prioribus exemplis, nempe assimilatione vel concoctione auctis, corpus bene aleretur, in duobus vero posterioribus, tabesceret; hoc, concoctione minuta, propter pabuli nutrientis assimilandi defectum; assimilatione autem deficiente, ex pabulo

---

per quæ transeunt, debetur; atque ita variis principiis eorum appropinquantibus attractionum eorum mutatio fieri potest; sub aucta igitur aut imminuta vasorum quorumvis actione, *i. e.* prout eorum diametri plus minusve augentur, eadem ratione tales effectus sequuntur, quales nos inducere possunt, ut ea vitiata censeamus.

lo nutriente per concoctionem præbito parum assimilato, oriretur: effectus in utroque iidem; in illo, ægrotus paulatim debilis fieret, nullis autem præter debilitatem indiciis conspectis, nam omne pabulum nutriens concoctione formatum rite assimilaretur; in hoc, fructus concoctionis immutati manerent; vecti autem in sanguinem, et inde ad vasa separantia pervenientes, et per illa abeuntes, phænomena diabeti melliti præberent.

Ob hæc principia, nos, diabetem mellitum, morbum organorum alimenta in nostrorum corporum substantiam mutantium, ducimus:

1mo, Quia chylus dulcis concoctione creatus, valetudine prospera, evanescit, nec urina, nec alii liquores excreti saccharum in sanguine indicant; et quoniam corpus bene alitur.

2do, Quia, in diabete mellito urina et quædam alia excreta sunt dulcia, atque tabes adest; et quia, propter rationes jam redditas, hæc materies saccharina a renibus formari nequit; et quia, si ob auctam organorum concoquentium actionem penderet, tabes abesset.

Postremo ; quia, viribus assimilantibus exceptis, nulla aliarum functionum læsio phænomena, quæ diabetem mellitum sequuntur, efficeret ; et propter jam dicta eas debiles esse censemus.

Nostra quidem sententia igitur, diabetes mellitus *ex assimilatione deficiente sola* originem trahit.

Ex hac causa phænomena morbi facile explicatu fiunt : inde quoque ea, quæ sententiæ Doctoris ROLLO adversantur, a dyspepsia et a tabe auctam ventriculi actionem comitantibus sumpta vitare possumus ; quoniam in bulimia, morbo ex illo ventriculi statu pendente, diabetes mellitus non adest *. Ad eas difficultates removendas, Doctor ROLLO discrimen inter auctam actionem cum debilitate, et auctam actionem sine debilitate, discrimen quod nos intelligere nequimus, introducit †.

Secundum

* MARCET. de Diabete.

† ROLLO *on Diabetes.*

Secundum hanc theoriam marcoris sub aucto appetitu, salivæ dulcedinis, sudoris atque pulmonum halitus odoris subacidi, ratio facile redditur. Sitis atque alia indicia febrilia, quæ accessionis febris hecticæ formam induunt, per incitationem a tanta materie aliena in circuitu fluctuante factam explicari possunt, quæque eodem modo, ac pus absorptum, agere potest.

Sitis autem, æque ac desiderii cibi inexplebilis, alia est explicatio. Non propter consilium nosmetipsos nutriendi, sed propter sensum quendam molestum, cibum appetimus. Nutritio, igitur, non pro causa, sed pro effectu desiderii cibi habenda est, quem experientia sola discimus. Finis cibi appetentiæ et sitis est, ut systema reficiatur, atque de hujus rei necessitate unusquisque admonetur sensubus illis ingratis, qui iis nominibus supra dictis adpellantur. Cibus igitur atque potus ad eos removendos, gratioresque adquirendos sumuntur; oriri igitur videntur ex necessitate a conditione corporis pendente.

Hinc

Hinc hæc indicia quoque, in nutricibus infantes immodice lactantibus locum habent. Nonne igitur ex aucta earum causa communi originem trahunt?

Nec temporarea ventriculi conditio dyspeptica huic rationi adversatur; quoniam ventriculus solum est organum, quo hæc conditio indicatur, nec ipsa conditio; in magna igitur ventriculi debilitate, sensilitate ejus exhausta, hæc conditio indicari non potest; hinc quoque appetitus absentia, causa ejus etiam maxime urgente.

Aucta concoctio, quæ quoque in hoc morbo appetitum auctum sequitur, a causa mechanica partim pendet; quoties enim ventriculus distenditur, lien premitur; atque inde plus sanguinis in vasis ventriculi sanguiferis continetur, unde plus fluidi gastrici secernitur, atque igitur concoctio rite efficitur.

Cardialgia ad irritationem localem, propter remoram ventriculi contentorum ejusque statum dyspepticum, referri potest.

Inde quoque, potestatis cibi animalis atque frugum ablationis, quia evolutio pluris saccha-

ri

ri quam vires assimilantes ad nutritionem corporis applicare possunt, impedita est, causam discimus: hoc modo, corpus ad secundam valetudinem paulatim redit; cujus mutationis salutiferæ, hæ vires simul ac aliæ, participes fiunt; seu organa sensim fiunt habiliora suo muneri fungendo. Hac theoria, quoque reditum urinæ dulcedinis subitum propter diætæ vegetabilis excessum; atque, his abstractis, decessum ejusdem æque subitum, explicare possumus.

DE URINÆ QUANTITATE IMMODICA.

Ab Aretæo usque ad Willisii tempus hoc indicium solum morbum constituere habitum est; eo præsente, adesse; leniori facto, minui; atque remoto, abesse putatus est morbus. A Willisio ad nostrum tempus usque, etiamsi totum morbum non constituit, tamen inter signa præcipua habetur.

Nuper vero Dr Lubbock, ex suis propriis observationibus, eam partem morbi hujusce historiæ negat, secundum quam affirmatur, urinæ quantitatem redditam liquida ingesta superare *. Scriptores quoque operis, cui titulus

* *Med. & Phys. Journ.* vol. v.

lus est, *Edinburgh Review or Critical Journal* *, illustri illi medico in hoc assentiunt.

Omnia, quæ ipsi vidimus, ad eandem conclusionem tendunt; atque notari debet, quoniam in hac re error tantopere abundat, omnia in contrarium spectantia, non nisi summa cura adhibita, recipienda esse. Proclivitas enim illa, qua mens humana rebus mirabilibus atque insolitis gaudet, bene nota est; nec ulla alia in re quam hujus morbi historia magis apparet, adhuc, sicubi supra observavimus, fictas tantum fabulas, quas auctores recentiores ab antecedentibus accipiunt, solum fere continet.

Tabula annexa ingestorum et egestorum fœminæ diabeticæ in Nosocomio Regio Edinensi, eandem rem confirmat †. Accuratam esse tabulam affirmare vix possumus; in ratione enim exigenda, fidei nutricis atque ægrotæ credebamus, nec raro nos decipere conantes deprehendebantur.

---

* Pro mense Januario, 1804, N. 6.

† Vid. *Appendic.*

prehendebantur. Omnes quidem conclusiones, de hoc morbo singulari, ex nosocomiorum experientia ductæ, magnam eorum pretii partem amittunt; quia de earum veritate incerti reddimur; nisi enim ægrotus ab omnium accessu excludatur, scire nequimus, utrum mandatis nostris paruerit. Cupido quoque quam ægroti sæpe monstrant misericordiam atque benignitatem nostram erga se excitandi, haud raro forsitan effecit, ut mala eorum verbis falso exaugeant. Hæc in hypochondriasi insigniter apparet; atque in omnibus morbis, quibus genus humanum obnoxium est, plus minusve invalet.

Tam multæ autem sunt observationes medicorum celebrium, ad hunc excessum confirmandum spectantes, ut quodammodo iis assentiri cogamur. Unde igitur hæc quantitas urinæ abundans?

E tribus causis solum oriri posse videtur: vel propter absorptionem cuticularem, aut pulmonalem, vel ipsius corporis colliquationem.

Urina nec calore nec acidis coacta, postremum omnino refellit.

Secundum

Secundum Doctorem RUTHERFORD, in hoc morbo, hydrogenii atque oxygenii in vasis pulmonibus major fit coactio; atque inde aquæ quantitas, ad excessum urinæ gignendum sufficiens, præbetur *. Quantitas vero oxygenii immodica, ad tantam aquam formandam, necessaria, nonnunquam aerem atmosphæricum per totum diem inspiratum superans; æque ac alii effectus locales, propter liberatum caloricum, orientes; hanc sententiam ingeniosam hypothesi solæ inniti, satis monstrant.

Altera sententia, quoque, secundum quam aqua vasis pulmonum lymphaticis ab aere absorberi dicitur, æque conjecturalis esse videtur.

Usque fere ad nostra tempora hic excessus ad absorptionem cuticularem referri solebat. Multi autem, ab experimentis a viris ingeniosis SEGUIN, CURRIE, GERARD, et aliis institutis adducti, hanc cuti facultatem omnino recusant.

 Res

* MARCET de Diabete.

Res veræ tamen, quas tradunt HALLERIUS, CRUIKSHANKS *, atque experimenta recentiora de gazeorum absorptione, eandem stabiliunt. Experimenta, quæ SEGUIN, vir aliter propter accuratam rerum descriptionem haud insignis, instituit, experimentis ejusdem generis ab aliis institutis, cum contrario eventu, dubia redduntur †.

Experimenta Doctorum CURRIE et GERARD, in observando, an ægrotus balneo calido immersus, pondere auctior fiat, necne, versabantur. "I could not," inquit Dr CURRIE, "distinguish the slightest variation in the "weight of his body, though my beam would "have detected a single drachm. I repeated "this experiment four days afterwards, and "with a similar result. On both of these "occasions, the immersions continued an "hour ‡."

Æger

* *Anatomy of the Absorbent Vessels.*

† *La Medicine éclairée : à Paris*, 1792, vol. iii.

‡ *Medical Reports on the Effects of Water*, &c.

Æger curæ Doctoris GERARD mandatus, et diabete mellito laborans, sine pondere corporis aucto, balneo calido vicies novies immersus fuit. Doctor GERARD igitur, nullam per cutem absorptionem adfuisse, atque si tunc haud adesset, in communi corporis statu eam non oriri posse, inde infert *.

Ægra diabetica in Nosocomio nostro, de qua jam dictum, balneum calidum eodem exitu octodecies adhibuit; bis vero minui ejus pondus, bis etiam augeri, videbatur; hoc aquæ crinibus adhærenti tribuebatur, temere enim caput immersum fuit; illud autem urinæ in balneo redditæ; atque equidem quærendo idem sæpe, pondere etiam haudquaquam minuto, fecisse reperiebatur: si fides huic rei habeatur, et certe fide haud indigna est, absorptionem per cutem factam plenissime probat.

Sitis

* CURRIE's *Medical Reports*, et ROLLO *on Diabetes*.

Sitis semper immersione magnopere minuebatur; bene dormiebat; species cutis squamosa abiebat, mollis atque laxior evadebat, nonnunquam porro sudabat.

Doctor CURRIE quoque cutem balneo semper mollescere, et frontem madefieri, et post relictum balneum ægrotum lectum antea calefactum intrantem in diaphoresin lenem et generalem, "the soother of every irritation, and "the harbinger of refreshing sleep," incidisse narrat *.

Ea experimenta autem conclusiones ex illis deductas, nostro quidem judicio, haudquaquam evincunt. A cute enim atque a pulmonibus fit exhalatio constans; hæc propter auctum calorem major facta esset, atque inde totum corpus æque incitaretur: absorbentia igitur, quæ partem ejusdem systematis constituunt, in eadem proportione quoque incitata fuissent; atque ita jactura, ex aucta exhalatione, orta, refecta fuisset; idem probat pondus

* *Medical Reports.*

dus post balneum haud minutum; absorbentibus enim haud æque incitatis, ponderis diminutio necessario fuisset.

Doctor Currie hac in re magnopere errasse videtur; dum enim pondus nec auctum, nec minutum, asserit, ægrotum tamen, eodem tempore, uncias 20 horis viginti quatuor semper amisisse, tanquam observatu dignum tradit. Si nulla igitur absorptio facta fuisset, $\frac{5}{6}$ unciæ per horam immersionis amisisset; nulla autem ponderis differentia orta, absorptionem, ad hasce $\frac{5}{6}$ unciæ, atque jacturam, propter pulmonum cutisque exhalationem auctam, reficiendas, sufficientem factam concludere oportuit.

Hanc quantitatis urinæ auctæ causam veram esse, ex effectubus, pluribus in exemplis, propter corpus unctum ortis, amplius adhuc confirmatur*. Diminutio sitis et urinæ, ob hanc rem, in exemplo Symington paululum apparuit;

* Prælect. Gregorii audi.

apparuit; quanquam, eodem tempore, tincturam digitalis purpureæ, dosibus paulatim auctis, sumebat.

DE PROGNOSI.

Historia morbi magnam sanitatis restituendæ spem, haud præbet. Satis exemplorum tamen habemus, (duo nos ipsi vidimus), unde, cum Doctore Rollo, inferre licet, "That "diabetes mellitus is now so far understood "as to be successfully cured *;" atque hæc fiducia grata timores nostros quodammodo summovet.

Prognosis e rebus sequentibus deduci potest.

1mo,

---

* Rollo *on Diabetes.*

1mo, *Ex ætate ægroti.*—Non est dubitandum, quo junior ægrotus, eo majorem sine dubio esse spem morbi pellendi; præcipue in fœminis, atque iis, qui citra pubertatem sint, cum illæ mutationes, quæ tunc temporis in corpore fiunt, vim magnam et fortasse salutiferam gignunt.

2do, *Ex vita ægroti prægressa.*—Si corpus intemperantia exhaustum sit, minus certe, ad resistendum morbi impetui, atque ad mutationes quæ ex vi vel regiminis, vel remediorum oriuntur, subeundum, sufficiet.

3tio, *Ex diuturnitate morbi.*—In nullo alio morbo, quam in hoc, rectius vetus adagium, "venienti occurrite morbo," sequimur; in quo spei sanitatem restituendæ secundum morbi durationem plus minusve esse videtur.

4to, *Ex indiciorum violentia.*—Prout morbus gradum sistit aut progreditur; atque prout debilitas, tabe, febre hectica, tumoribus hydropicis, &c. indicata, ita felix vel infelix exitus, citius serius, expectandus.

5to, *Ex obsequio ægroti ad servandam methodum medendi jussam.*—A constante fere auxilio

lio atque plurimis in exemplis exitu secundo, quæ methodum medendi a Doctore Rollo propositam sequuntur; (atque in iis exemplis, in quibus effectu caruit, huic methodo, cæteris paribus, non rite observatæ tribui potest); sicuti, medici mandata servata, vel non servata fuerunt, prognosin ita gubernatum iri concludere licet.

Denique; conclusiones nonnullæ fortasse, ex observata *causarum incitantium natura* inferri possunt. Quanquam de his haud multum novimus, tamen quoniam, ut alio loco diximus, dispositionem hæreditariam nonnunquam adesse verisimile est, quæque a fabrica peculiari originaria pendet; talis res a medico suspecta, prognosin haud parum afficiet.

DE

DE METHODO MEDENDI.

In explicatione, quam reddere conati sumus, naturæ hujusce morbi, is a minutis viribus illorum organorum, qualiacunque sint, quibus saccharum, et concoctionis fructus naturalis et nutritionis principium, in corpus animale convertitur, pendere videtur. Quum igitur quantitas, quæ plerumque evolvitur, talium organorum vires exsuperat, excessus, qui in sanguine manet, per excretiones varias abeat, necesse est.

Hæc conclusio infertur a morbi phænomenis, quæ in iis historiis, quas postea trademus, occurrerunt. Quoniam, præsente urina dulci, omnia symptomata graviora fiebant, et macies et debilitas citissime progrediebantur ; tali autem urinæ qualitate abeunte, omnia sympto-

mata suspendabantur atque valetudo secunda rediebat. In hoc morbo igitur curando tria efficienda sunt:

1mo, Removenda est urinæ dulcedo;

2do, A reditu ejusdem præcavendum;

3tio, Corpus est reficiendum.

Exitus felicissimus, qui ex methodo medendi in exemplis traditis observata secutus est, atque levamen ex ejus adoptione statim nascens, illas res effeci posse, sequenti indicatione adimplenda, monstrare videntur.

Sacchari evolutio per organa concoquentia ita regenda est, ut tantum solum evolvatur quantum organa assimilantia in substantiam corporis animalis convertere possint.

In hac igitur indicatione peragenda, vires assimilatrices primo sunt æstimandæ; deinde ita regendæ, ut ad munera fungenda aptiores fiant.

Ad priorem rem efficiendam, ut omnia alimenta aut materiem saccharinam in se continentia, aut cum aliis conjuncta eandem evolventia, ægroto recusentur, quo sanguis a materie saccharina ei admixta liberetur, necesse est;

cujus

cujus absentiam ab urina qualitates sibi proprias assumente discimus. Cui re maxime quoque inserviunt emetica et laxantia; his omnia in ventriculo prius contenta removentur, quæque eorum mora conatus nostros inanes redderent, sicut in exemplo MEREDITH occurrit, "who threw up some pie, which he "had secretly eaten three days before. The "apples and crust had not apparently under-"gone the slightest alteration *."

His effectis paulatim adhibenda est materies vegetabilis, donec ad illam quantitatem perveniamus, quæ nisi vel minime aucta dulcedinem urinæ haud inducit. Unde æstimari certissime possunt, vires organorum assimilantium.

Ad alteram rem efficiendam, quæ reliquam curationis partem constituit, summa diligentia est progrediendum. Unam tamen regulam generalem, qua dirigimur, habemus, urinæ scilicet qualitatem. Nam quotiescunque urina ullam dulcedinem ostendit, vel materiei vegetabilis quantitatem a nobis præbitam nimiam

* ROLLO *on Diabetes.*

am fuisse, vel regimen proprium derelictum, certum est.

In augenda quoque materiei vegetabilis quantitate, cura semper est adhibenda ne uni portioni addatur, sed ut inter totius diei ingesta dividatur. Mirum enim est, quam parva frugum quantitas urinæ dulcedinem reducet. Vidimus ubi duæ drachmæ panis cibo animali impune adde potuissent; pani autem ad drachmas tres aucto, dulcis evasit urina.

Materies vegetabilis caute quoque est eligenda. Fruges enim ratione sacchari evoluti, multum differunt; ab aliis summa ccpia producitur, ab aliis autem nihil tale gignitur. Inter has enumerari possunt brassica oleracea *, cichorium endivia †, lepidium sativum ‡, sinapis alba ||, raphanus sativus §, apium graveolens ¶, et quædam alia.

In incipienda igitur curatione ab iis frugibus, quæ hanc qualitatem parcius possident, ad

* *Cabbage.*

† *Endive.*

‡ *Garden Cress.*

|| *Mustard.*

§ *Common Radish.*

¶ *Celery.*

ad eas quibus copiosius inest, progrediendum. Hoc discrimen quoque inter frugum qualitates maximi est momenti, inde enim ægroti appetentiæ fere insuperabili ciborum hujuscemodi, iis solum, quæ innocuæ sunt, præbitis, indulgere possumus. Sicuti enim eleganter a Doctore ROLLO exprimitur, cujus verbis mihi uti liceat: "We have to lament, that our "mode of cure is so contrary to the inclina-"tions of the sick. Though perfectly aware "of the efficacy of the regimen, and the im-"propriety of deviations, yet they commonly "trespass, concealing what they feel as a "transgression on themselves. They express "a regret, that a medicine could not be dis-"covered, however nauseous or distasteful, "which would supersede the necessity of any "restriction in diet."

Hanc indicationem sequendo, molesta scorbuti symptomata, quæ sæpe oriuntur in methodo medendi a Doctore ROLLO servata, evitantur. Doctor ROLLO equidem præcipue lapsus est, in eo, quod principia, ob quæ iterum sunt adhibenda vegetabilia, non ostendit.

Hæc

Hæc autem est methodus medendi quam experientia monstrat; quæque, nostra quidem sententia, morbi naturæ maxime consentanea esse videtur. Hæc enim, proculdubio, rite culta, morbo pellendo, qui usque ad hæc tempora medicorum opprobrium est habitus, sufficit. Ut omnia vero, quæ hic traduntur, sequamur, nonnunquam impossibile fit; nec servatu, præcipue in ægrotis senioribus, quique luxui dediti sunt, semper utilia; aliter autem quamprimum sunt incipienda ac religiosissime servanda.

Si curationis ratio supra proposita a morbi phænominis recte inducatur, spes valetudinis secundæ recuperandæ a regimine solo pendet. De iis medicamentis igitur, qui in diabete mellito adhiberi solent, brevissime dicemus; nec ulla nisi ea, quæ observationi nostræ occurrerunt, quæque ad symptomata mitiganda nonnunquam necessaria fiunt, memorabimus.

Hydro-sulphuretum ammoniæ,—*sulphuretum potassæ*,—*aqua calcis*,—*alcali puri*,—illa aut ad sacchari formationem in organis concoquentibus impediendam; aut ad ventriculi statum nauseativum,

nauseativum, desiderio cibi inexplebile urgente, inducendum adhibentur.

Ægrotus sæpe contra medici jussa cibi vegetabilis nimiam quantitatem sumit. Quo ejus effectubus perniciosis opponatur, experimenta a CRUIKSHANKS instituta modum monstrare videntur. Ille chemicus celeberrimus observationes suas inde deductas, hisce verbis summatim colligit. "From a review of the "whole, the propriety of the different medi-"cines employed in diabetes," ad ea a Doctore ROLLO adhibita, quæque a nobis supra memorantur, hic respicit, "must be obvi-"ous, more particularly the pure alkalies, "lime-water, and the different sulphurets, all "of which counteract the formation of saccha-"rine matter in the stomach."

Opium,—præcipue adhibetur ad vires ventriculi deprimendas: parvis dosibus sæpe repetitis et paulatim auctis dandum.

Digitalis Purpurea.—In exemplo ISABELLÆ SYMINGTON diabeticæ, digitalis usque ad semidrachmam ter in die nec solitis suis effectubus, vel narcoticis vel diureticis, sequentibus, sed

e contrario urinæ quantitate paululum minuta, proferabatur. Plurima experimenta, antequam digitalis purpureæ in hoc morbo utilitas, et causæ, ob quas ad eam recurri debet, adpareant, adhuc sunt necessaria.

Balneum tepidum.—Magnum ægroti levamen propter balnei tepidi usum semper nascitur. Minuit sitim, lenem diaphoresin gignit, cutem molliorem reddit, atque sensus gratiores inducit.

De *balneo frigido* a nobis nihil notum. Inter curationem forsitan ad vires ægroti augendas feliciter adhiberi potest.

Inunctio.—Ad impediendam per cutem absorptionem auctam, quæ a plurimis hunc morbum sequi censetur, hoc remedium præbetur; an urinæ vero quantitas ingesta superet, necne, valde incertum est. Inungebatur SYMINGTON, sine autem ullo effectu magnopere salutari.

Venæ sectio.—Quandocunque pectoris incommoda atque alia incitationis indicia maxime urgent, parva sanguinis detractione, non obstante debilitate, ea mitigari possunt; nam

in

in hoc morbo, æque ac in phthisi pulmonali sanguinis detractio, quam subire possunt ægroti, mira est; in hoc sanguinis detractio compensari videtur irritatione puris, in illo sacchari.

Cathartica.—Alvus adstricta plerumque hunc morbum comitatur; catharticis igitur lenioribus, veluti salibus mediis, oleo fixo ricini communis, &c. levari potest; cura tamen semper est adhibenda in præbendis infusis vegetabilibus, quæ saccharum evolvere possunt. Catharticum optimum in sub muriate hydrargyri pro re nata adhibito, invenietur.

Talia sunt fortasse omnia medicamenta, quæ in hoc morbo esse indicata videntur. Multæ quidem diversæ res a prioribus medicis in curatione diabetis melliti, atque ut ipsi aiunt feliciter, laudantur. Omnes fere res, quæ in Materia Medica continentur, nonnunquam ad id, quod nunc ab omnibus, sicut bene notum est, effici nequit, satis apte habitæ sunt, efficiendum. Nobis autem in animis est, omnia hæc silentio prætermittere.

Diabetis melliti exemplum nuperrime vidimus, in quo medendi methodus supra tradita omni cura adhibita est. Ægrotus annum trigesimum quintum agit, atque hoc morbo, sine ulla causa manifesta, per annum laboravit. Per sex hebdomadas fruges parcissime, atque cum exitu felicissimo sumsit. Animus factus est hilarior; corporis robur et nitor partim redierunt; ac sex libris pondus post initum regimen auctum est. Nunc quoque plura passuum millia, sine magna defatigatione perambulat, cum antea minima exercitatione vires exhaurirentur. Urinæ dulcedo tamen interdum, regimine neglecto, redit. Spes nobis igitur in hoc exemplo est valetudinis secundæ, si rite servetur regimen idoneum, recuperandæ.

Hinc quoque confirmatur opinio antea suggesta, quantitatem urinæ redditam nunquam liquida ingesta superare, nec ad morbum constituendum

stituendum necessariam esse. Per tempus enim, quo curæ nostræ mandatus est, liquida ingesta sex libras haud unquam superarunt, quanquam cibum in formam liquidi redactum plerumque sumsit, nec eandem quantitatem urina æquavit.

Exemplum quoque hujusce morbi, de quo nuper in consilium adhibitus fuit Doctor Gregory, eandem sententiam magis adhuc verisimilem reddit: in hoc liquida ingesta tres libras nunquam exsuperant, atque minor semper est urinæ quantitas: ægrotus est provectæ ætatis.

Medendi methodus a Doctore Rollo laudata cum summa cura adhibitur; atque inde magnum levamen sese sentire, in historia a seipso scripta, quæque nobis a Doctore Gregory tradita fuit, ægrotus fatetur. Nisi igitur corpus nimium debilitatum sit, ac si cibus vegetabilis ita præbeatur, ut habitus priores paulatim rediant, spem valetudinis prosperæ recuperandæ jure forsitan habere possumus.

Fruges equidem, nostra sententia, non cibus animalis curationem hujusce morbi efficiunt.

unt. Corpus enim tabescit, donec certa pars materiei vegetabilis sine ulla urinæ dulcedine sequente præberi possit; et secundum quantitatem materiei vegetabilis ita sumptam, sic corpus ad sanitatem magis magisque redit.

APPEN-

APPENDIX.

APPENDIX.

HISTORIA PRIMA.

PUELLA, quæ annum ætatis duodecimum nuper explevit, forma gracili, indoli docili, menteque hilari, die Febr. 23. 1798, diabete mellito correpta apparuit. Circiter initium mensis Januarii animus depressus, iners, et studii pariter atque ludi fuit incuriosus. De capitis atque abdominis dolore multum querebatur. Marcescebat, manente tamen cibi appetitu integro.

Sub medio mensis Februarii maxima siti, atque aucto urinæ reddendæ desiderio, premebatur. Obstipatio et sapor oris ingratus, una cum nausea fere perpetua aderant. Cutis quoque arida, squamosa atque coloris sublivida, facta est. Urina dulcissima, quæque a Docto-

re

re ROLLO examini subjecta, extractum purissimum, quodque etiam aliquamdiu servatum in grana abiit, præbuit.

Morbi nulla causa reddi potuit. Eruptionibus herpeticis, aliisque labis scrofulosæ indiciis, nonnunquam obnoxia fuerat. Ob quæ per tres æstatis prioris menses balneo marino usa erat. Unde valetudo ejus multo magis prospera evaserat. Fructibus, bellariis atque salgamis, magna copia vesci solebat.

Diæta animalis; sulphureti potassæ solutio aqua diluta, pro potu; atque in usu liquidorum continentia maxima, jubebantur.

"Die Febr. 26.

"Urinæ et color et sapor magis naturalis; cibi appetentia magna; sitis autem multum minuta. Contin. diæta.

Adhibebatur balneum tepidum; atque inungebatur corpus axungia porcina vespere.

"Die 27.

"Urina, ante prandium reddita, naturalis; duabus vero horis post prandium, in quo panem

nem sumserat, elapsis dulcis; atque vespere iterum manifesto naturalis. Contin. diæta.

"Die 28.

"Cibi appetentia et sitis multum minutæ; cutis mollior. Urina per noctem reddita, salina; post jentaculum in quo panem sumserat, urina dulcis; atque libræ tres vaporatione minutæ, uncias octo et drachmas tres extracti dulcissimi reliquerunt: paucis horis post prandium, ex cibo animali compositum, urina naturalis, et sedimentum lateritium deponens."

Hæ urinæ mutationes magnopere notandæ sunt. Inde enim urinæ qualitates in hoc morbo ab aliqua sanguinis mutatione pendere satis constat. Nam simul ac concoctiones fructus ad sanguinem pervenisse videntur, urina dulcis reperitur; dum autem hi paulatim ex sanguine abeunt, urina minus dulcis; atque tandem, cum omnino separati sunt, qualitates suas naturales ostendit.

" Die Mart. 3.

" Indicia omnia magnopere levata, et urina per aliquot dies naturalis manserat. Panis cum lacte pro jentaculo præbitus fuit; duabus horis elapsis urina haud dulcis; panis bis coctus ad uncias tres per prandium, atque idem vespere pro merenda sumptus, urina sub hora somni dulcis.

" Die 4.

" Urina nocte reddita, insipida; mane, salina. Contin. diæta, quantitate autem materei vegetabilis minuta.

" Die 6.

" Sitis magnopere aucta: dolor capitis; atque anxietas magna; urina dulcissima. Ægrota regimen præscriptum sese neglexisse confessa est."

Hæ res urinæ qualitatem ab alimenti natura omnino pendere procul dubio monstrant. Inde quoque symptomatum molestorum causa patet; regimine enim neglecto, urinæ dulcedo,

do, capitis dolor atque salivæ visciditas, una cum cuti arida et siti aucta, mox sequentibus rediebant.

"Die 9.

"Panis biscoctus ad uncias duas per viginti quatuor horas, nec urina dulci sese ostendente, sumebatur. Corporis pondus libræ sexaginta quatuor."

Materies vegetabilis, igitur, pars certa in hoc morbi statu ad corpus nutriendum sumi potest; aucta autem hac quantitate urina fit dulcis, atque ejus dulcedo variat secundum quantitatem excessus. Alia res quoque hinc nascitur et etiam magni momenti; quod cum enim ad priorem quantitatem redire volumus, ea nimia esse reperitur, atque per aliquot tempus minorem quantitatem, ad statum priorem recuperandum, adhibere cogimur.

"Die 23.

"Nihil notatu dignum a die mensis nono: materies vegetabilis aut aucta aut minuta fuit secundum effecta, quæ genuit. Urina fere

semper

semper naturalis. Nocte proxime elapsa diaphoresis lenis erupit.

"Die 28.

"Corporis pondus plus quinque libris auctum. Valetudo magis secunda indies fiebat.

"Die Aprilis 9.

"Per dies octo ægrota regimen multum neglexit, atque saccharum etiam sumsit; hinc urinæ dulcedo; sitis aucta; os et cutis arida.

"Die Maii 6.

"Cutis, cibi appetentiæ et sitis, naturales; rite dormivit; mente hilari; robore atque nitore corporis quodammodo redeuntibus; studia juvenilia alacer persequebatur. Illa autem ad pristinam diætam redeunte, iterum urina dulcis.

"Die Junii 6.

"A Maii sexto, diæta regularis, atque frugum quantitas paulatim fuit aucta. Corpus augetur, atque exercitatio sine ulla defatigatione inusitata peragebatur."

Hoc

Hoc exemplum hactenus provectum, Doctori ROLLO traditum fuit. In iis, quæ postea sequebantur, memorandis epitome brevi contenti erimus.

Ægrotæ pater, post aliquot annorum absentiam, paulo postea ab India rediit. Unde illi in iis alimentis, quæ regimini jusso omnino contraria fuerunt, nimium indulgebatur; atque methodum vivendi cui adstricta fuerat, et ex qua effectus tam salutares secuti erant, persæpe neglexit aut omnino dereliquit. Amicorum ignorantium opiniones quoque vicerunt, quibus ipsi parentes, licet mali inde imminentis conscii, sæpe assenserunt. Morbus igitur, omnibus suis indiciis solitis, atque etiam aliis generis diversi comitantibus, sese iterum ostendit.

Sitis magnopere augebatur; corpus tabescebat; cutis arida squamosaque fiebat; tensio circa vesicæ regionem apparebat; atque vesica ipsa morbida esse videbatur, urina enim sedimentum mucosum, calculo laborantium adinstar, deponebat. Sensus molestiæ ad meatus urinarii orificium, atque ad renum regionem

nem dolor, constantes erant. Gingivæ rubescebant; halitusque e pulmonibus erat fœtidus. Propter auctam debilitatem atque morbum iterum grassantem territa, ad regimen pristinum ægra, iisdem beneficiis sequentibus, confugit; in eo tamen perseverare nequivit.

Hoc tempore scarlatina anginosa in familia aderat; qua, atque cum symptomatibus inflammatoriis valde auctis, ægra nostra correpta fuit. Sitis fuit magna, cutis arida, urina ruberrima et, mirabile dictu! sine ulla dulcedine; nec etiam, bellariis aut frugibus adhibitis, qualitates diabeticæ rediebant. Scarlatina autem abeunte, diabetes mellitus rursus apparuit.

Ægrota odontalgia affecta, quam parva puris collectio inter gingivas et dentis alveolum comitabatur, primo mensis Maii an. 1800, dens cariosus extractus fuit. Inflammatio gingivarum, dente remoto, major evasit, nec solum eas occupabat, sed quoque ad genas et ad imos fauces pervenit; quæque sub decimo ejusdem mensis die in sphacelum lethalem desiit.

HISTORIA

HISTORIA SECUNDA.

Die 13. Sept. 1799.——Strover, æt. 35, coporis robusti; qui opificibus in navali regio, ad vicum vernacule *Deptford* nuncupatum, præfuit; temperamenti sanguinei; in pueritia tumoribus glandularibus ct eruptionibus cutaneis obnoxius, cujus liberi iisdem affectionibus subjecti; temperatus; convivialis lætitiæ interdum particeps, et post prandium aut cœnam paululum spiritus ardentis aqua diluti plerumque bibens; carnibus præcipue vescitur.

Per plures hebdomadas sensit desiderium cibi inexplebile, sitim perpetuam et urinam auctam (non autem ultra rationem potus sumpti) atque lassitudincm, irritationem circa glandem penis, atque nullam veneris cupidinem. Cutis arida fit. Ad vcspcrem, de aucto calore multum queritur; noctes inquietæ; urina gustata dulcissima.

Per primos decem dies cibo animali utebatur. Usus lactis, atque omnium materiem

saccharinam

saccharinam evolventium, prohibitus est. Hoc modo sitis levior fiebat; urina ad qualitates naturales rediit, et symptomata febrilia abierunt.

Sept. 23.—Decem grana panis biscocti, ter in dies, cum tanto cibo animali quantum voluit, ostreæ quoque et ova, permittebantur.

Hæc methodus servata fuit donec panis supra dictus per singulos dies, dosibus paulatim auctis, ad duas drachmas pervenerat. Quia autem adpenso, pondus suum quotidie minutum fieret; ab initio enim hujusce methodi libras 36 amiserit: talis hinc fuit ejus anxietas, ut ab amicis hanc methodum negligere, illi persuasum est. Hæc aberratio duos dies permansit, quum iterum adpenso eadem ponderis amissio non solum adfuit, sed quoque augebatur, et morbi indicia omnia redierant. Postea, præcipue propter commodum suorum, obedientiam majorem promisit.

Per quinque dies animali cibo solo utebatur; tunc per sex dies triginta grana panis biscocti, tribus portionibus adhibebantur, et per quosque quatuor aut quinque dies augebatur

batur aut minuebatur, prout urina præsentiam aut absentiam sacchari indicabat. Panis tandem ad duas uncias auctus urinam dulcem haud genuit, et hoc tempore nulla ponderis jactura adfuit. Ob hanc rem aberrationes haud tam frequentes, et pondere augebatur: nunc lac, thea, et alia vegetabilia, minimam saccharinæ materei quantitatem continentia, diætæ minutim addebantur. Hæc methodus usque ad mensem Maii anno 1800 observata, quo tempore indiciis morbi haud inductis, cerevisiæ tenuis fortisque, æque ac vini et spiritus, aqua multum diluti, paululum sumere potuit; atque paulatim ad priores consuetudines vitæ rediit.

Post quod tempus, pleuritide affectus est. Prospera valetudine nunc fruitur, corpore etiam haud tantopere obeso; atque munere adjutoris summi naupegi in navale, ad oppidum vulgo *Plymouth* dictum, fungitur.

HISTORIA TERTIA.

Ricardus Limberry, ætat. 57, præfectus navalis regii in oppido *Plymouth*, diabete mellito affectus est. —— Strover ad *Plymouth* vieniente, ac ejus priori conditione cognita, de modo, quo is ad sanitatem restitutus fuerat, quærere adductus est.

Methodus curationis indicata, rite observata est, atque eventu felicissimo.

Durante morbo, labore confectus *Londinum* ut præmium solitum peterit, pervenit; et apud unum amicorum in vico *Deptford* habitavit. Eadem methodus medendi strictius observata fuit, eadem cura de urinæ conditione adhibita.

Quoniam methodus eadem omnino fuit ac ea quam Strover observavit, eam hic repetamus, haud necesse est. Exitu quoque æque felici adhibita, et nunc valetudine sana fruitur.

HISTORIA QUARTA.

Isabella Symington, ætatis an. 24., temperamenti sanguinei, innupta atque famula, diabete mellito, ut ipsa affirmavit, per tres annos laboraverat.

In Nosocomium Regium Edinense, 2do nonas Decembres 1802, recepta est, atque usque ad 4tum idus Martias an. 1803 ibi permansit. Per hoc tempus paroxysmis febrilibus cum maxima debilitate et delirio quandoque obnoxia evasit. Inter quos urinæ dulcedo decessit. Hi paroxysmi febriles subito accesserunt et decesserunt. Iis manentibus nexus inter urinæ quantitatem atque liquida ingesta apparuit: Januarii enim die 10 et 11 ingesta tres libras æquabant, nec egesta quatuor superabant; cum antea ingestorum sedecim libræ et egestorum septemdecim fuerant; atque statim postea, ingestorum libræ undecim, et egestorum duodecim fuerunt.

In Nosocomio cibo animali præcipue vescebatur;

batur; nullum commodum inde sensiebat; atque sua sponte dismissa fuit.

Novembris sexto 1803, ad Nosocomium rediit, atque iterum Doctoris HOME curæ tradita est, indiciis diabeticis, marcore præcipue, maxime auctis. Ratio ingestorum et egestorum, atque ponderis ægrotæ et ante et post balneum tepidum, in tabula sequenti subjungitur.

TABULA

TABULA INGESTORUM, &c.

	Ingesta.	Egesta.	Pondus. A.M.	Pondus. P.M.		Ingesta.	Egesta.	Pondus. A.M.	Pondus. P.M.
Nov.	lbs.	lbs.	lbs.	lbs.	Dec.	lbs.	lbs.	lbs.	lbs.
6	19	20			1	28	28		83
8	19	31		85	2	28	29	81	84
10	26	32	84½	84	3	19	17	81½	83
11	25	31	83½		4	18	17	81	83
12	25	28	84½		5	21	23	80	84
13	30	30			6	20	21	81	
14	18	28			7	18	21	82	80
15	28½	30	83	85½	8	25	26	81	83
16	23	30	82		9	19	26	81	83
17	27	32	80½	82	10	16	20½	81½	83
18	28	35	82½	81¾	11	18	22	79½	82
19	20	22	79	82	12	19	20	81	84
20	21	26	80	85	13	20	23	82	82
21	25	28	82	88	14	20	19	79½	82
23	21	23		80½	15	19	17	79	85
24	23	23	80	82	16	20	22	82	82
25	20	24	81¾	82	17	19	18	82	82
26	18	23		82	18	20	23	79	
27	23	26		82	19	19	23	82	82
28	23	27	79	82	20	18	25		
29	23	28	82	80	21	21	26	82	82
30	25	27	79	80	22	22	28	79½	85
					23	19	24	82	85

TABULA INGESTORUM, &c. *continuata.*

	Ingesta.	Egesta.	Pondus.			
			A. M.	P. M.	A. B.	P. B.
	lbs.	lbs.	lbs.	lbs.	lbs.	lbs.
Dec. 24	22	28	82		86	86
25	23	24	82		87	87
26	17	18	84	87		
27	19	21	83		88	88
28	20	21	80½		83	84½
29	21	21	80¼		82	84
30	21	22	79	85		
31	23	21	82		82	82
Jan. 1	23	21	81		82	82
2	19	18	78½	81		
3	18	15	78½		85	84
4	18	17	81	81		
5	19	22	78		82	82¼
6	19	17	80½		82	82
7	17	19	80¼	82		
8	19	16	82		82	82
9	17	17	78	85		
10	15	17	78	80		
11	16	15	78	80¼		
12	15	14	78½	82		
13	16	15	78			
14	16	15			82	82
15	17	16	78½	81		
16	16	15	78		82	82
17	18	15	78	81		
18	20	20	77		77	77
19	15	16	75	77½		
20	18	15	78	78		
21	16	15	75	77		
22	15	17	75		78	77
23	10	10	77		78	78
24	10	10	78		78	78
25	14	15	80			80
26	12	15	78			

Per primam hebdomadem, cibus nullius peculiaris qualitatis ei præscriptus est, quantitas autem aucta est, quo effectus et regiminis et remediorum, ut nos docuit Doctor HOME, certius appareret. Cibus animalis tunc adhibebatur, libris duabus panis ac cerevisiæ tenuis libris sex quoque additis: sub hoc regimine urinæ qualitas haudquaquam afficiebatur, sed dulcis permanebat. Duæ libræ septies vaporatione minutæ, residua dulcissima sequentia reliquit.

Novembris die 12. an. 1803, uncias duas cum semisse; Decembris die 5. uncias quatuor cum semisse; Decembris die 13. uncias tres et drachmas sex; Dec. die 28. uncias quatuor; Jan. die 3. an. 1804, uncias tres et quatuor drachmas; Jan. die 18. uncias tres et quatuor drachmas; atque Jan. die 24. uncias tres et quatuor drachmas.

Axungia porcina Novembris die 17. an. 1803, inungebatur, primo semel, et postea bis in die. Haud multum utilitatis attulit hoc remedium; et quoniam de frigore inde oriente questa est, maxime irregulariter adhibebatur atque cito omnino relinquebatur.

Tinctura

Tinctura digitalis Novembris die 26. primo in dosibus 8 guttarum bis in die, duabus aut tribus guttis, secundum ejus effectus, singulis diebus additis, dabatur. Quoties effectus ejus molesti fiebant, intermittebatur; atque his effectibus cessantibus, rursus fuit adhibita. Ad Januarii sextum diem continuebatur; quo tempore guttæ triginta tres, ter in die sumebantur; tunc relicta fuit. Vim suam solitam in pulsum, atque vires diureticas haud genuit. E contrario dum sumebatur, ingesta atque egesta æque ac eorum inter se proportio minuebantur.

Balneum tepidum sitim minuebat, ita ut per noctem sequentem liquida ingesta raro tres libras superabant, cum alioquin singulis noctibus duplicem quantitatem bibebat; odorem ingratum ægrotæ adhærentem removebat; cutem molliorem et læviorem reddebat; somnum magis profundum inducebat; atque ex ejus usu maxime levatam semper sese sentiebat. Post tres posteriores immersiones, haustum sudorificum ex aqua acetitis ammoniæ et pulvere ipecacuanhæ et opii compositum, sum-

sit,

sit; qui sudorem generalem induxit, atque sitim multum minuit.

Vini rubri Lusitanici unciæ octo per mensem postremum indies præbebantur; nec ullos effectus gignebant; atque Januarii die 27. 1804, dimitti voluit ægrota.

In nosocomium Februarii die 18. 1804, rursus recepta fuit, symptomatibus valde gravioribus factis; atque Doctoris Duncan curæ mandabatur. Febris hectica magis urgebat; crurum œdema constans fuit, &c.; cardialgia atque urinæ ardore querebatur. Male dormiebat. Lingua rubra et tenera fuit. Corporis debilitas magnopere quoque fuit aucta.

Statim fere post receptionem nausea et animus depressus urgebant. Debilitas cito progrediebatur, atque tussis aderat molesta. Martii vigesimo secundo diarrhœa occurrit, fæces sæpe et sponte redditæ sunt. Vigesimo quinto urinæ quantitas multum minuebatur, atque ejus dulcedo abierat; tandem vigesimo ejusdem mensis die septimo, in mortis amplexus decessit.

PHÆNOMENA sequentia ex cadaveris sectione a Doctore MONRO *juniore* delineata, benigne nobis tradita fuerunt.

" *Appearances observed on the Dissection of ISABELLA SYMINGTON.*

Fat.

" ALL the fat within the pelvis, abdomen and thorax, seemed at first sight to have been converted into a gelatinous-like matter, which was somewhat of an amber colour.

The gelatinous-looking matter was of different degrees of density, and also of different colours in different parts of the body: in the omentum it was of a straw colour; around the kidneys, spleen, pancreas, and on the surface of the heart, it had a brownish-red colour.

Upon

Upon examining this substance by one of Dollond's compound microscopes, I observed that a semi-opake gelatinous brownish liquor was effused into the interstitial cellular matter, which, in a great measure, concealed the fat, and also that the greatest part of the fat had been removed.

Besides, the follicles of the fat were much smaller than in a healthy animal, and of unequal sizes, the diameter of some of them not exceeding the fourth part of that of others. A similar alteration in the fat has been observed by my Father to take place in some cases of anasarca.

The subcutaneous fat was not examined.

Circulating System.

THE heart was very small, of a pale colour, and contained but little blood.

Its surface presented an unusual appearance, as the fat upon it was diminished in quantity, and concealed by gelatinous matter effused into the cellular substance.

There was a small quantity of the gelatinous

nous matter at the roots of the pulmonary artery and aorta, which extended along the margo acutus to the apex of the heart.

The coats of the arteries were not in the least degree thickened.

Upon cutting into the aorta, I discovered that its innermost coat was of a bright scarlet colour, which led me to examine whether or not the same colour extended to its branches within the abdomen and pelvis. I found that their innermost coats were also of a red colour, but not so deep as the arch of the aorta.

The pulmonary artery had the same tinge as the branches of the aorta.

This singular colour was not discovered in any of the veins, with the exception of the pulmonary veins. It extended from the pulmonary veins into the left auricle, and also upon the mitral valve; that of the pulmonary artery, only as far as its semilunar valves.

The columnæ carneæ of both ventricles, and the septum cordis, were of the usual colour.

This redness in the innermost coat of the aorta,

aorta, its branches, the pulmonary artery and pulmonary veins, did not seem to be the effect of inflammation, for no red vessels could be seen on it, either by the naked eye, or by the aid of a microscope.

It was not owing to coagulated blood sticking on the inner coats of the arteries, as it could not be wiped off; nor to blood effused betwixt the muscular and innermost coats, as no blood was found there when the innermost coat was removed from the muscular.

Absorbent System.

The size, colour, density, and internal organization of all the glands connected with this system, within the pelvis, abdomen and thorax, had suffered a material alteration.

Many more glands struck the eye than in the sound state of the body. The iliac, lumbar, cœliac, and bronchial glands, were much enlarged. Their size varied from that of a dried pea to that of a walnut: one of the bronchial glands was about the size of a small hen's egg.

The

The enlarged mesenteric glands were of an oval figure, much flattened, and of a yellowish colour.

There were a great many enlarged glands, and nearly of the size of a dried bean, upon that part of the mesocolon which is attached to the arch of the colon, about an inch from the intestine; but I did not find any appearance of glands upon the coats of the small or large intestines.

The natural texture of the glands connected with the absorbent system was in a great measure destroyed; no vessels could be seen within them; in their stead a quantity of matter, of different degrees of density in different glands, was found within them.

The lumbar glands were filled with a matter like to the fibrina of the blood; the bronchial glands were to the touch hard, and filled with a calcareous matter of a dirty white colour. None of the lacteals or other absorbent vessels seemed to be dilated; nor were any of the lacteals filled with chyle.

The arborescent course of the absorbents of the

the liver could be distinctly traced, as they were filled with lymph.

Unfortunately, in the hurry of removing the thoracic and abdominal viscera, the thoracic duct was destroyed.

Alimentary Canal.

Within the œsophagus there was a small quantity of a whitish matter.

The stomach contained only a small quantity of a glairy substance, and also a small quantity of a matter resembling in colour the yolks of eggs, probably bilious matter. These contents of the stomach had not the slightest degree of subacid smell.

The innermost membrane of the great left sac of the stomach was of a reddish colour, and also a small part of the same membrane near the pylorus, and upon it there were numerous spots of extravasated blood. The villous coat near the pylorus was much corrugated and thrown into folds.

The great and small intestines contained

but

but a small quantity of a liquid bilious-looking matter, but no hardened feculent matter.

A small part of the ilium bore marks of a slight degree of inflammation.

The arch of the colon was much contracted, and the ligaments upon it were unusually strong.

The mesentery and mesocolon were in some places of a reddish colour, which did not seem to be the effect of inflammation, as no vessels filled with red blood were seen upon separating the layers of peritonæum forming the mesentery and mesocolon. The colour seemed to be given by the reddish-coloured jelly, which covered the fat, shining through the transparent layers of the peritonæum of the mesentery and mesocolon.

Assistant Chylopoëtic Viscera.

The liver, spleen and pancreas were sound.

The gall-bladder was of its usual size, and nearly half-full of bile, the colour of which was nearly similar to that of orange orpiment.

Upon

Upon opening the gall-bladder, I immediately examined the smell of the bile, and found it subacid. Dr Rutherford and Mr Shirreff also examined it, and concurred with me in opinion as to the smell of the bile.

It had the common degree of viscidity.

As a proof how fallacious the sense of taste is, and how different in different individuals, I may add, that the taste of the bile appeared different to four very accurate observers, seeming bitter to two, sweet to one, and insipid to the fourth.

The gall-ducts were of their usual size.

The omentum majus extended as far down as the umbilicus; it was remarkably thin, and a small quanity of blood was within its blood-vessels. The fat upon it, and in the appendices pinquidinosæ, was concealed by jelly effused into the cellular substance.

Organs of Urine and Generation.

Both kidneys were somewhat lobulated, more of a pink colour, and harder to the touch than in the sound state.

The kidneys were broader, thicker, and more rounded than is usual, but not longer; that of the right side, was much more curved than the left, and from its anterior surface there was an unusual projection, which led me to suppose, that purulent matter, hydatids or calculi, were lodged within the pelvis of the kidney.

Upon dividing the right kidney into two equal portions, by a longitudinal incision, it seemed as if it had been very successfully injected. Many blood-vessels, both in the cortical and medullary part, were filled with florid blood, from which the distinction between these parts was not well defined *.

The pelvis at first sight seemed as if filled by a transparent yellow-coloured substance, which, upon more minute examination, was found to be effused upon the outer side of the pelvis and infundibula †.

Within

* *Vid.* Plate, letters AA.

† *Vid.* Plate, letters BB.





A. Fyfe del.

Within the right kidney there were a few small cavities, which were capable of containing a garden pea. These cavities, disposed irregularly through it, were filled with the same gelatinous-looking substance as was found in other parts of the body.

The smell of both kidneys was subacid, but not so evidently so as that of the bile.

The fat around and under the kidneys, and also around the renal artery, vein and pelvis of the kidney, had the same appearances as in other parts of the body.

The bladder of urine was much contracted.

The uterus, Fallopian tubes and ovaria were in their natural state.

Organs of Respiration.

The pleura costalis and pulmonalis adhered to each other on both sides.

On the left side, the adhesions were partial, long and slender, probably elongated by the ascent and descent of the lungs.

On the right side, the adhesions were so short

short, and so general, as to render it difficult to separate the lungs from the side.

A layer of coagulable lymph, about two lines in thickness, covered the greater part of the lungs of the right side.

The greater portion of the cellular substance, and cells of the right lung, was filled with a cheesy matter, of a light green colour, which rendered the lungs as hard as the liver, and so dense as to sink readily in water; and between the diseased and sound portions of the lungs, there was a distinct line of coagulable lymph.

There was also a small sac, filled with a watery fluid, and lined by coagulable lymph, within the right lung. The right lung adhered firmly to the diaphragm.

The lobes of the left lung had nearly the usual feeling; but upon cutting into them, blood was found effused within many of the air vesicles, and into the interstitial cellular substance, especially towards the surface.

There were many portions of cartilage of a florid red colour, not only in the trunk, but also

also in the branches of the trachea. These were of unequal sizes, some of them were equal to the fourth of an inch in length, others less. The florid red colour extended into the substance of the cartilages. It was not communicated by blood coagulated upon the surface. No vessels containing red blood were visible to the naked eye within these florid red portions of cartilage.

Doctors Home, Duncan *senior* and *junior*, my Father, Mr Fyfe, and Mr Shirreff, examined these red portions of cartilage, and were convinced that the red colour was within the cartilages.

Besides these morbid appearances, there was a small quantity of a watery fluid within the cavity of the abdomen, and also within the pericardium."

FINIS